

vulgo dicitur, Regis Manus ac intimus Consiliarius, ut aliarum Scientiarum atque artium ita quoque Historiæ naturalis summus Mæcenas atque Promotor, qui ipse haud parvis sumptibus pulcherrimam studiose conquisivit rerum naturalium Gazam, rarissimis ac pretiosissimis superbentem conchiliis) novum instrueretur Amphitheatrum Oeconomico-naturale Regium, in quo asservanda ac oculis curiosorum exponenda omnigena naturalia nec non oeconomica, uti machinæ oeconomicæ, instrumenta agriculturæ forma minori (vulgo i Modell) confecta. Cui Amphitheatro mox præficeretur ut Lector et Demonstrator, qui desiderantibus tam naturalia quam oeconomica demonstrarem; qualibet vero Hyeme Historiam naturalem et Oeconomiam publice ac privatim docerem; iis conditionibus, ut duobus proximis annis domi prædicti Amphitheatri adornandi initium facerem (cui omnes meas collectiones naturales dicavi), et simul per æstates Patriam perlustrarem; deinde per duos tresve annos Hollandiam et Angliam peragrarem. Interea verò D<sup>ns</sup> Ascanius superiori anno ex itineribus in patriam rediit, qui impensis Regiis iter per plures annos fecerat in exteris, eum in finem, ut Historiæ naturalis perfectiorem acquireret cognitionem, tantosque in his studiis fecisse profectus contendit et sat audax magnatibus imposuit, ut plures Professiones publicæ Historiæ naturalis et Medicinæ in Italia, Germania et Russia sibi oblatae fuerint, quarum unam susciperet, si talem hic domi in Patria ei non traderent. Hinc decretum est, ut ad prædictum Amphitheatrum constituerentur duo Professores alter in Oeconomia alter in Historia naturali: Quoniam autem Ascanius contendit, se in oeconomicis minime versatum esse nec Professionem Oeconomiae in se suscipere velle, sed ex Mandato Regio soli Historiæ n<sup>li</sup> incubuisse: Idcirco Professionem Oeconomiae licet involuntarius in me suscepi. Sic stantibus rebus Oeconomiae me totum addere et Historiæ naturalis studium maximam partem missum facere cogor; Licet privatim in quamcunque Historiæ naturalis partem auditoribus Collegia dictitare mihi concessum est, liberque ad omnia in Amphitheatro observata naturalia mihi patet aditus, sive publice